
ASSERTIONES THEOLOGICAE EX LECTIONIBVS IN SECVNdam secundæ, et tertiam partem D. Thomæ collectæ,

ANTE INSTAVRATIONEM studiorum in templo societatis IESV disputandæ.







ROMAE, IN AEDIBVS SOCIETATIS IESV Anno MDLX.

DE IVSTITIA.

TOTIVS *humanæ uitæ nostræ officium in duas partes distributum est, ut scilicet id, quod iure debemus & nobis, et alijs, uirtutum actionibus exequamur: alijs quidē per iustitiam, nobis uerò per reliquas uirtutes; Iustitia autem dignitate fortitudinem temperantiamq; superat; eiusq; materia, actiones sunt & actionum obiecta, res scilicet ac personæ: eius medium non solùm rationis est, sed etiam rei, in æqualitate consistens, reddens unicuique quod suum est.* Diuiditur autem in *uniuersalem, œconomicam, & particularem Iustitiam.*

DE RELIGIONE.

A C *sub particulari Iustitia* Religio *continetur, inter omnes prima & potissima, quæ lato sumpta nomine, circa* Deum *& beatos uersatur: in qua summum est ius, & eius materia proxima actiones sunt, quas moderatur, erga illos;* Remotior *uerò honor &* Reuerentia, *seu, ut uno uerbo dicam, omnia, quæ per actiones illis tribuit. postremò ipsæ personæ sunt, quibus hæc tribuit.*

E S T *autem una uera* Religio, *neque plures esse possunt, eaq;* Christiana *religio, non alia:* Christiana *uerò, quam sancta* Romana *approbat* Ecclesia. A*tq; hæc singula etiam ratione naturali persuaderi possunt, ex* Diuinis *effectibus, quos iam experti sumus,* Diuinam *& ueram* Religionem *coniectantes.*

RELIGIONIS *uerò, latè sumpto uocabulo, partes seu species sunt tres,* Latria *erga* Deum *(quæ sola propriè & strictè Religio nuncupatur, & est)* Dulia *erga* Bea-

tos, Hyper*dulia erga* V*irginem* G*loriosissimam* M*ariam*.

LATRIAE *uerò seu* R*eligionis actus sunt multi, inter quos,* D*euotio,* O*ratio,* V*otum, iuramentum*.

DE SINGVLIS ACTIBVS RELIGIONIS *ac primùm de Deuotione*.

DEVOTIO *duplex est,* H*umana, & Diuina;* H*umana ex affectu hominis erga hominem nata;* D*iuina ex charitate uel gratia; quæ* D*iuina, est promptitudo uoluntatis ad seruiendum* D*eo, uel etiam sanctis; aut potius est uoluntatis diuinus quidam actus uel affectus, quo prompta redditur uoluntas ad seruiendum &c*.

DE ORATIONE.

ILLA D*euotio in* V*oluntate, at oratio potius uidetur in intellectu, sed dubium adhuc uidetur.* V*erumenimuerò hæc lato sumpta uocabulo nihil aliud profectò est, quàm actibus* V*oluntatis & intellectus cum* D*eo conuersari; strictius autem, sola est collocutio cum* D*eo; adhuc strictius, sola est petitio, qua ab eo aliquid petimus hæc autem collocutio aut petitio mentis interior, intellectus est actus, uel potius* V*oluntatis, per medium intellectum, tanq; per nuncium,* D*eo sua desideria manifestantis.* P*etit quidem utrunque à* D*eo, sed intellectus tanquam nuncius, &* V*oluntati, non sibi; at* V*oluntas, tanquam ea, quæ nuncium misit, & in petitione prima*.

EST *autem orandus non solùm* D*eus, sed etiam sancti, diuerso tamen modo:* D*eus, ut gratiæ & gloriæ author; sancti, ut pro nobis ad hæc obtinenda intercedant. Orandum*

uerò est tum pro nobis, tum pro alijs; pro amicis, & inimicis; pro iustis, & pro omnibus peccatoribus; pro fidelibus, & infidelibus; pro uiuis, & pro mortuis; & [redacted] tum mente, tum uoce; & publicè & priuatim; in Ecclesia & domi; simplici sermone, & cantu; quorum quædam impiè negant Lutherani.

DE VOTO.

AT petioni Votum quasi è regione respondet; cum petitio constituat, quid alter pro me debeat facere; Votum, seu promissio, quid ego pro altero sim facturus: illa, inquam, ordinat factum alterius ad me; hæc rem uel factum meum erga alterum. Non est autem Votum solùm Voluntatis propositum, etiam deliberatum, & firmum, sed promissio; neque uerò quæcunque promissio est Votum: non enim homini facta, etiam propter Deum, & de rebus ad illum spectantibus, sed Deo solùm facta.

PROmissio autem hæc non quæcunque satis est ad obligandum, sed deliberata, & deliberata bonæ quidem rei, quæ Deo placeat, non malæ, ut sit uerum Votum & Religionis actus. Atque etiam propriè uotum eorum tantùm est, quæ sunt consilij; licet nihil uetet, quæ sunt precepti, uoueri quoque. Ita fit, ut ad perfectum Votum tria requirantur, Promissio, eaq; rei bonæ, Propositum implendi, & Deliberatio.

OBLigat autē Votum, etiā si ex ijs aliquid desit. Dum enim sola adsit promissio, sitq; rei bonæ, aliquo modo quis tenetur, etiam si non habuerit animum implendi; at si habuerit, eò magis; etsi deliberata promissio, eò fortius. quòd si non deliberata sit promissio, tamen sit libera (ut, cùm ex timore, ira, uel alia quis perturbatione uouet) aliquo etiā modo tenetur.

Quòd si expressa deliberatione, adhuc magis; & si externa uerba, & adhuc testes, maximè. Crescit nanque dictis gradibus uoti obligatio. Irritari autem, & commutari, ac dispensari uota possunt, cum causa.

DE SINGVLIS VOTORVM GENERIBVS.
Ac primò de Deliberato, *ac* Indeliberato; *V erò, ac* Ficto.

INDE*liberatum ergo aliqua ratione obligat, dum sit liberum: sin secus, minimè. deliberatum uerò, maximè, siue tacita, siue expressa deliberatione.* Fi*ctum uerò, quod solis externis fit uerbis, non obligat apud* De*um; sed coram* Ecclesia *factum, censendum* V*otum.* A*t si uouere uoluit, sed non explere uotum, etiam coràm* Deo. V*erum autem* V*otum, siue solùm, interiùs, siue interiùs pariter, exteriusq; fiat, certum est obligare semper.*

DE VOTO SIMPLICI ABSOLVTO.

IAM *simplex* v*otum absolutum est multiplex, & ex diuersitate earum rerum, quas uouet quis, agnoscendum. aut ergo est eorum, quæ extra nostram sunt potestatem, ut impossibilium, uel absolutè necessariorum, & hoc est stultum uotum; aut eorum, quæ in nostra potestate; ac tunc aut rei, aut operis boni, uel mali, uel indifferentis. Indifferentis quidem uanum est uotum, neque obligat. mali, ut mortalis peccati, uel uenialis, impium est* V*otum, ac cuiuscunque alterius mali, potius est comminatio, quàm* V*otum, in quibus tantum abest, ut obligent, ut contrarium potius sit agendum.*

IAM *bonæ rei uotum, uel operis, est, aut præcepti, aut*

consilij ; aut neque consilij, neque præcepti ; Præcepti, necessariorum uidelicet ad salutem, uerum est uotum, ac tenet. Consilij, magis proprium adhuc uotum est, ac perfectius. Boni neque consilij, neque præcepti, ut nubendi, uel diuitias possidendi, si in genere fiat, certum est, ad nihil obligare, imò uis tuperandum esse Votum.

De oppositis autem consiliorum, uotum, ut non ingrediendi Religionem, non elargiendi eleemosynas, impium est uotum; ut cuiusuis alterius peccati; Votum uerò absolutum, ob malum finem uouentis factum, sed de re bona, tenet: non autem, si ipsa relatio rei bonæ ad malum finem, sub uotum cadat.

DE VOTO CONDITIONATO.

VOTVM *etiam Conditionatum est multiplex, sed eius diuersitas & obligatio, ex duobus sumenda est, ex re scilicet, quæ uouetur, & conditionis diuersitate.* Et *ex re, quæ uouetur, idem prorsus habendum iudicium, quod de absoluto. nā si res impossibilis, aut absolutè necessaria; stultum erit uotum: si mala, illicitum; si indifferens, uanum; nec minus addita conditione, quàm ablata.*

AT *si bona res, quæ promittitur, tunc est distinguendum, & spectanda conditio, atque hæc sanè eodem modo esse potest uel impossibilis conditio, & tunc ad nihil obligat uotum; uel rei absolutè necessariæ stulta conditio, tamen tenet uotum: aut possibilis, quæ scilicet euenire possit ac non possit, & tunc si rei bonæ, cùm alioqui Votum sit de re bona, dubium non est, quin obliget: si indifferentis rei conditio, uotū tenet, & obligare incipit post tempus positæ conditionis; sed tamen peccat uouendo, cùm rem nihili, tantæ rei, quan-*

ta est uotum, annectat, & ex illa pendere uelit.

SI uerò rei turpis, aut illicitæ conditio; illud ex sensu uel intentione uouentis metiendum est. nam adhiberi potest, uno ex quatuor uel quinque modis; cùm ergo sit conditio finis turpis, per uotum impetrandi, aut cùm sit tanquam in compensationē & gratiarum actionem Deo pro illa, si eam à Deo impetrauerit, blasphemia potius est, quàm Votum, nec tenet. Cùm autem additur tanquam in pœnam peccati, si labi contingat (ut vouet hoc, si in adulterium incidat) aut tanquam in remedium præseruans à peccato, quia nollet reddere quod uouet, atque ideo abstinet à peccato; ijs duobus locis licitum est, ac tenet. atque eodem modo tenet, si sub euentu solo de re turpi conditio fiat, ut si contigerit filium, filiamue in peccatum labi, hoc uouet.

DE VOTO SOLENNI.

EST autem solenne aut Sacerdotum Castitatis Votum, aut Religiosorum. differt autem à simplici, quòd sola est promissio in simplici sine traditione, aut si traditio etiam sit, quantum est ex se, sed sine acceptatione alterius partis, hoc est, Dei per Ecclesiam in perpetuum tale votum acceptantis; in solenni uerò hæc adest acceptatio, & perfectus fit contractus, & datur accipiturq; possessio, ut in matrimonio. & hinc etiam postea sequitur, consecratam Deo personam remanere, et ideo matrimonium impediri carnale.

DE VOTO RELIGIONIS.

REligio, ut diximus, uirtus est, quæ Deo uerum cultum tribuit,

buit, & ideo uera Religio sola dicitur Christiana, & hoc pacto omnes Christiani, Religiosi. At hæc Christiana Religio præcepta habet, & consilia: cùm ergo consilia antecellant, hinc fit, ut magis propriè sibi uendicet nomen statús Religionis, in quo Euangelica seruantur consilia; & Religiosi magis propriè dicantur, qui illi statui perfectionis, hoc est, consiliorum, se dedicarunt, Castitatem, Paupertatem, & obedientiam seruantes.

IMO' si adsint ista tria, nisi uoto sint obfirmata, uera ac perfecta Religio dici non meretur. Est autem perfectius uouere, quàm illa sine uoto seruare; & perpetuo his se obligare uoto, melius; & solenni adhuc uoto se adstringere, ut sanctæ Ecclesiæ Religiones consueuerunt, perfectissimum & optimũ.

SIquis autem ingredi Religionem uouit in genere, quãuis ab una uel duabus repellatur; omnes, ubi spes sit, quia recipietur, Religiones approbatas, adire debet, idq; ex ui uoti; at ex animo uouentis, ut ferè semper contingit, satis est, si sibi notas & suæ regioni propinquas; At si in particulari hanc uel illam, hoc uel illud cœnobium ingrediendi, nec admittitur, uel excluditnr admissus, ab obligatione manet liber.

DE IVRAMENTO.

IVramentũ est, Deum in testem assumere uel inuocare, hoc est, in testimoniũ adducere eius, quod dicimus. Iurare autẽ non solùm licet, si rectè fit (rectè aũt fit, cũ uerè, iustè, et cum iudicio suscipitur, præsertim cùm necessitas iurandi compellit; tum uerò religiosius cùm modus in iurando, reuerentia, & deuotio, & finis rectus intercedit, ac personæ & iuramenti decentia) sed meritum etiam affert, cùm sit religionis actus, non

expetendus ille quidem propter se, sed qui loco usurpatus, infirmæ hominum fidei salubriter medeatur.

EIUS *autem obligatio, licet sit minor obligatione uoti, minus tamen quàm illa, Pontificis dispensationi subest. Admittit tamen, cùm causa postulat, commutationem, dispensationem, & irritationem, ut Votum.*

DE VITIIS RELIGIONI CONTRARIIS, Ac primùm de Simonia.

RELIGIONI uitia quædam opponuntur, inter quæ Simonia, Idololatria, Diuinatio, Ars notoria, cum alijs impietatum ac superstitionum generibus. Est autem Simonia, cùm spiritualis res pro temporali uenditur; sed spiritualis res duplex est, una diuina, à spiritu scilicet sancto profecta, in qua propriè Simonia cernitur: Altera humana seu naturalis, ut scientia, consilium; in qua non propriè Simonia, sed aliud uidetur uitium. Illa uerò res diuina, triplex; per essentiam spiritualis, per causam, per effectum. Quorum nihil licet uendere, ac ne annexa quidem spiritualibus.

SIMONIA autem duplex est, mentalis & realis: mentalis uerò duplex, aut purè mentalis, quæ scilicet in solo animo sine ullo pacto contingit; aut pactionalis, seu conuentionalis, ut ita dicamus, in qua pactum solùm aliquod, tacitum uel expressum interuenit. Et illa quidem purè mentalis, adhuc duplex; aut solo desiderio, nihil accipiendo, aut aliquid reuera accipiendo: Et eadem uel utrinque mutua, uel ex altera solùm parte. Ac nulla istarum purè mentalium, ad restitutionem obligat. et mirum hoc in mentali Simonia uideri poterit, cùm tamen mentalis obliget usura.

DE Idololatria, & Diuinatione.

Idololatria quidem omnium superstitionum est grauissima; imò ex se considerata, omnium etiam peccatorum. Diuinatio autem omnis futurorum contingentium, aut fortuitarum rerum, uel euentuum, aut operum hominum, uel uoluntatis liberorum, uel aliorum, quæ ex his pendent, aut effectuum etiam supernaturalium, illicita & superstitiosa habenda est; imò etiam rerum naturalium, si ultrà, quàm res naturalis, per quam fit Diuinatio, ostendere potest, se extendit.

NEC minus etiam per astra diuinare uelle futurorum contingentium euentus, magna est uanitas; multo autem maior, opera hominum libera uelle conijcere, aut alia, quæ eisdem accidunt libera, uel naturalia, uel supernaturalia. Sed neque ex astris naturales effectus horum inferiorum prædici possunt à nobis; nisi pauci admodum, atque ij etiam incertò, et fallaci diuinatione.

DE ARTE NOTORIA.

NEC minus illicita est Ars notoria, quæ à dæmonibus scientias petit, & eas falsò pollicetur; ac non solùm illicita, sed inefficax; cùm dæmones mentem interius illuminare nequeant; quod tamen possunt Angeli. Quare neque interiùs unquam docere suos potuerunt scientiarū dogmata, nec intellectui scientiam infundere.

DE Figuris, Quas Astronomicas dicunt.

QVI asserunt figuras quoque, seu Imagines, quas Astronomicas appellant, arte fabrefactas, ad aliquos effectus con-

sequendos, uel diuinandos (si considerentur, ut naturales quædã res sunt, à cœlo et artifice simul effectæ, uel non per se, sed ut subsunt astris, aut sub alia aliqua ratione) præterquàm quod ratione suæ materiæ, puta ligni, aut luti, aut lapidis, possunt; qui, inquam, aliquam asserunt habere uim, aduersantur fidei & rationi.

DE SACRAMENTIS.

Quid sit Sacramentum, & quid perfectum Sacramentum.

SACramentorũ *consecratio, susceptio, & collatio, ueri sunt Religionis actus, & ipsa etiam Sacramenta res quædam sunt sacræ, ad Religionem spectantes. Erit ergo Sacramentum sacrum signum, non ab hominibus, sed à Deo institutum: nec cuiusuis rei, sed occultæ: & huius, non omnis, sed gratiæ: nec solùm signum, sed efficiens: si tamen perfectum esse debet undequaque Sacramentum. Meritò ergo definitur, signum uisibile inuisibilis gratiæ, eius similitudinem gerens, & causa existens. nam etiamsi hæc non extarent Sacramenta, talia esse deberent perfectissima. Secundum locum post hæc tenerent, quæ signa quidem essent, sine quibus non daretur gratia, & quibus positis, daretur. Postremum & ultimum, quæ mera essent signa.*

DE SINGVLIS SACRAMENTIS, AC
primùm in statu Innocentiæ, an ulla sint, uel fuerint.

IN *statu primùm Innocentiæ nulla extitisse, aut futura fuisse Sacramenta, si in eo homines permansissent, uerisimilius arbitramur: licet potuisse esse tunc aliqua, non repugnet. Fuissent siquidem signa aliquot externa gratiæ ab ipsismet hominibus, uel fortasse etiam à Deo instituta, quibus fidem suam testarentur, quasi cultu externo, fuissentq; hæc huius generis tunc Sa-*

cramenta, ideſt ſigna Fidei & Gratiæ, ac aliarum rerum ſpiritualium, ſed non cauſa, neque his eſſet alligata gratia, ſeu Fides: ſed magis ex interna Dei gratia, & Fide, hæc exteriora opera, ex Dei impulſu ſequerentur. ſicut nec in Beatitudine ullis indigent Sacramentis, ubi nec ſunt, nec fuerunt, nec inter Angelos, nec inter Beatos.

DE Sacramentis in ſtatu naturæ, ante legem.

IAM uerò, poſt illum fœlicem Innocentiæ ſtatum, ſucceſſit ſtatus corruptionis; qui quidem eſt triplex, Naturæ, Legis, & Gratiæ,

Atque aliqua omni tempore, & in omni ſtatu neceſſaria fuiſſe poſt peccatum Sacramenta, confitendum eſt, quibus homines à peccatis liberarentur, & docerentur, & in uero Dei cultu continerentur.

QVare in ſtatu naturæ aliquot fuere, licet à noſtris diuerſa; ſacrificia uidelicet, & oblationes, per quæ peccatum illis originale, & mortalia quoque dimittebantur; ea autem certa non erant inſtituta, aut certum eorum tempus, modus, et numerus certus, ſed ex Spiritus ſancti inſpiratione, prout quiſque mouebatur.

HAEC Sacramenta typum gerebant Chriſti futuri, ut veteris legis sacramenta, et eius gratiæ ac gloriæ, quæ per illum danda erat, ac præſentis fortè gratiæ, quæ iiſdem dabatur; ſed ſolùm ſigna erant, ad quorum præſentiam gratia daretur, non cauſæ.

DE Sacramentis Veteris Legis.

IAM cùm totum penè genus humanum, aut certè magna eius pars, in Idololatriam, uariaſq; ſuperſtitiones, uero Dei cultu amiſſo, laberetur: atq; hinc in uaria quoque peccata et denſiſſimas ignorantiæ tenebras incidiſſet: Deus Opt. Max. qui

modis omnibus generi medetur humano, populum sibi delegit cui legem, uerum cultum, & Sacramenta conferret. Instituit ergo illis hæc non ut antea, ut amplius libera, & incerta manerent: sed ut certa quædam, & non alia offerrentur, & præscripto eis tempore, & modo, ne error iterum falsi cultus obreperet. In his etiam clarius & expressius, & plura futuri Christi mysteria significauit, quàm olim. Atque per hæc eos in officio continuit, usque ad Messiam: non tamen gratiam illa efficiebant, sed significabant.

DE CIRCVNCISIONE.

SED de Circuncisione maior aliqua uidetur difficultas, an peccatum originale deleuerit, & gratiam contulerit: nam alia certum est, egena fuisse elementa. In utranuis autem partem contrarijs existentibus opinionibus, dicendum uidetur, nec habuisse effectricem uim gratiæ, neque tamen fuisse merum signum: sed signum eiusmodi, sine quo Fides, aut opus operantis satis non esset: sine quo, inquam, Gratia, seu Iustitia fidei non daretur, & quo posito simul cum fide daretur; neque ideo aut inutilis erat Circuncisio, aut melius, si illa caruissent, ut in naturæ lege; cùm ex hoc complura eis commoda acciderint.

RECTE autem eo tempore, Abrahæ scilicet, instituta fuit, nec debuit, aut oportuit anteà. Et rectè in ea parte corporis constituta, & rectè uni certo populo, Iudæorum scilicet, Abrahæ semini data, non omnibus. At hæc usque ad Christũ. Nam statim post passionem cessauit. à Christo etenim noua quædam alia Sacramenta ortum habuere, de quibus iam dicendum.

DE SACramentis nouæ Legis, & Gratia.

VT autem alia sunt præsentis, futuri, ac præteriti temporis uerba; ita etiam rectè sacra signa seu sacramenta, quæ Christum uéturum, ab eis diuersa, quæ illum uenisse, significarent. Hæc autem nostra & signa sunt, Christi, eiusq; passionis memoratiua, & præsentis ostensiua gratiæ, et prognostica futuræ gloriæ. Superant autem ueteris legis Sacramenta, dignitate, ui ac virtute, autore, significatione, facilitate, paucitate, & alijs.

DE SACRAMENTORVM NOVAE LEGIS ui, seu efficiendi uirtute.

NEC *solùm signa sunt, ut illa, sed causa gratiæ quam & continent; quæ in singulis Sacramentis propria est, ac diuersa. Efficiunt autem Sacramenta hæc nostra gratiam, ut instrumenta Christi Redemptoris nostri, uirtute scilicet quadam spirituali ab ipso accepta, qua pertingunt usque ad delenda peccata, & gratiam in anima producendam. Atque ita uerè efficiẽtes sunt causæ: quã efficiendi uirtutẽ ex passione Saluatoris nostri habent deriuatam. Et quidem omnis per hæc Sacramenta uera Iustitia uel incipit, uel cœpta augetur, uel amissa reparatur.*

DE PARTIBVS, MINISTRO, SOLENnitate, Institutione, et numero sacramentorum, cum alijs.

CONSTANT *autem singula ex materia & forma, rebus uidelicet, & uerbis. Quòd si altera pars deesset, Sacramentum non esset, aut si ita mutata, ut significatio non maneret. Requiritur quoque ministri intentio, sed non Fides, nec uitæ sanctitas. At in peccato ministrans aut suscipiens Sacramenta mortaliter*

solẽnitates quoque Ecclesiæ in Sacramentis sunt seruandæ, ac si contemnãtur, aut priuata authoritate immutẽtur, peccatur mortaliter; præsertim cùm aliquæ eiusmodi, suis effectibus spiritualibus non careant; at sine his uerum esset Sacramentum.

INstituta uerò sunt omnia à Christo immediatè. nam solus ipse hanc habuit condendorum Sacramentorum potestatem; Apostolis enim et Ecclesiæ solùm ministerium communicauit. neque uerò tota, quam habuit in Sacramentis Christus potestatem, alijs meris hominibus communicari potuit. Sunt autem septem numero tantùm; et omnia perfecta et propriè Sacramenta, et necessaria Ecclesiæ ad salutem consequendam, licet non omnia singulis.

LAVS DEO

